



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE
BOLLETTINO

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 1026

Sabato 21.12.2024

Missione e Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale alla celebrazione del 75° anniversario dell'erezione della Diocesi di San Sebastián (Spagna)

In data 16 novembre 2024, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. José Tolentino de Mendonça, Prefetto del Dicastero per la Cultura e l'Educazione, Suo Inviato Speciale alla celebrazione del 75° anniversario dell'erezione canonica della Diocesi di San Sebastián (Spagna), che si terrà il 6 gennaio 2025.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione Pontificia composta dai seguenti ecclesiastici:

- 1) Rev.do P. Ignacio ECHARTE OÑATE, S.J. Delegato per la Vita Consacrata della Diocesi di San Sebastián;
- 2) Rev.do P. Carlos MARTÍNEZ OLIVERAS, C.M.F., Professore all'Istituto Teologico di Vita Religiosa e presso il Pontificio Istituto Teologico Giovanni Paolo II per le Scienze del Matrimonio e della Famiglia (sezione extraurbana di Madrid).

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratри Nostro

IOSEPHO TOLENTINO S.R.E. Card. DE MENDONÇA

Dicasterii de Cultura et Educatione Praefecto

In communione caritatis vivens et operans, ad omne opus bonum paretur (cfr *2 Tim 2, 21*) et omnia sustineat oportet Ecclesia necessitatibus temporum accommodata et, quo fidelium bono aptius consulere quaeat, sollicita omnium eorundem necessitatum, in vitae in quibus vivunt adiunctis, rite cognoscere satagat et in hac pastoralis sollicitudine cum iisdem simul adlaboret ad aedificationem mystici corporis Christi (cfr Conc. Oec. Vat. II, *Christus Dominus*, 16).

Haec considerantes, valde laetamur de septuagesimo et quinto celebrando anniversario dioecesis Sancti

Sebastiani in Hispania canonicae erectionis, quo commodius aptiusque dioecesium in catholico orbe regimini et administrationi prospiceretur ac potissimum saluari fidelium in Vasconum regionibus commorantium utilitati consuleretur eosque maioribus instruerentur fidei praesidiis, sicuti Praedecessor Noster beatae memoriae Pius XII censuit, cum die II mensis Novembris anno MCMXLIX a dioecesis Victoriensis territorio civilem provinciam vulgo *Guipuzcoa* distraxit, s. Ignatio de Loyola patrono commisit eiusdemque templum iam Iesu Bono Pastori dicato Sebastianopoli illustri urbe, quae fidelitate nobilitateque et sinceritate dicitur eminens, ad cathedralis ecclesiae elevavit fastigium.

Dum tantam recolimus memoriam, Excellentissimus ac Reverendissimus Episcopus istius dilecti gregis, Venerabilis Frater Ferdinandus Prado Ayuso, C.M.F., a Nobis expetivit, ut christifideles inter sollemnia perfrui possent praesentia ac verbo alicuius Eminentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat Nostramque erga istam communitatem manifestet dilectionem. Proinde, huic humanissimae petitioni concedentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, mentem Nostram convertimus et, qui cotidiano in Nostro ministerio exercendo validum Nobis praestas auxilium in Dicasterio pro Cultura et Educatione ac fontibus monumentisque ecclesiasticae historiae in nobillima terra Vasconiae accedere vales, peraptus videris ad Nostram sollicitudinem erga istam Ecclesiam per hoc ministerium significandam. Proinde, hisce Litteris Te Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad dicta sollemnia, quae die VI mensis Ianuarii, sollemnitate in Epiphania Domini, in urbe Sancti Sebastiani celebrabuntur ad honorandos LXXV annos dictae communitatis ecclesialis foundationis.

Libenter potestatem tibi facimus, dum celebrationi Eucharistiae praesidebis, Episcopum aliosque sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque necnon publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos sermone tuo ad concordem actionem, e qua clarius ecclesialis unitas eluceat, cohorteris. Caritatem in dominici palaestra servitii instituendam suadeas, in qua sola socialis omnis et civilis profectus ac prosperitas innituntur. Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus totius dioecesanae communitatis omniumque ibi congregatorum.

Dum tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem Nostram Apostolicam impertimur omnibus, qui celebrationi intererunt, transmittendam, legationem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter exposcentes, ut haec communitas fidelium, s. Ignatii de Loyola intercessionem, Spiritu vivificata, verbo vitae ac divina gratia instructa, amoris Christi nihil praeponat.

Datum Romae, Laterani, die V mensis Decembris, anno Domini MMXXIV, Pontificatus Nostri duodecimo.

FRANCISCUS

[02063-LA.01] [Testo originale: Latino]
